DE

# ABETE MELLITO.

---

## DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

TIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

VERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

EDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

*E XXV. M. JANUARII A. MDCCCXXVIII.*

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**DOLPHUS HOHLFELD,**

SILESIUS.

---

OPPONENTIBUS:

*H. BRESLER,* MED. DD.,

*S. SIMSON* MED. CAND.,

*M. KALISCH,* MED. CAND.

---

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

FRATRI

OPTIMO ET DILECTISSIMO

# 'ERDIN. HOHLFELD,

:DICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, RATISBONENSIUM MEDICO FELICISSIMO ET PHYSICO MERITISSIMO,

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

GRATO PIOQUE ANIMO

D. D. D

AUCTOR.

# PROOEMIUM.

Nulli de sua scientia aut arte disserenti, vel in publicum aliquod edituro, major requiritur providentia, magisque observandum est illud *Horatii* „Nonum prematur in annum", quam medico, quippe ad cujus disciplinam augendam totius hominis aetatis, ne dicam saeculi, experientia studiumque vix sufficit, cujusque errores traditi non tantum, ut in poëticis operibus, auctoris gloriam, lectoris voluptatem minuunt, sed illi opprobrium adducunt, sua auctoritate multis hominibus vitae periculum imo mortem tulisse. Quam ob rem nos, tirones, inauguralem conscribentes dissertationem scribendi tantum nobis imposita necessitas, bonaque inter res tractandas selectio potest excusare. Itaque mihi, qui, medicinae doctoris honores impetraturus, ad libellum edendum coactus sum, optimum agere videor, si, unica illa,

quae studentibus patet, experientiâ, literatura scilicet, usus, non nova docere suscipio, sed tantum quod alii, iique celeberrimi in medicina auctores, docuerint trado, et rem eligo, quae optime nostrae scientiae probat arduitatem, quae maxime ad naturam accurate perscrutandam nos propellit, quae certissime nobis monstrat, quantum adhuc faciendum medicis restet, quae denique viam ad summe de scientia nostra et de hominum salute merendum nobis patefacit. Quae enim de diabete mellito dixero affirmant, nobis non, uti magno illi *Alexandro*, id dolendum esse, quod patres omnem jam gloriam praeceperint, sed id potius, quod in tot saeculorum tantorumque ingeniorum studiis, tanta in multis rebus supersit obscuritas et dubitatio, ut nobis posterioribusque gloriae impetrandae occasio major quam spes contingat.

Quot enim celeberrimi acerrimique ingenii medici de diabete scripserunt, tot fere varias ediderunt sententias et theorias, ipsoque nostro tempore quisque in hoc morbo observando occasionem petit, non tam pristinae theoriae confirmandae, sed novae condendae.

Unde autem hoc fiat? quaerenti nihil respondere possum, nisi e perversa studendi ratione, e nimia systematum cupiditate et aviditate, e falsa denique philosophandi methodo, quibus omnibus

perducti propriam ideam in medicinam transferunt medici, et prius morbos explicant, quam eos viderunt. Natura autem non vi aut dolo expugnari, et in provinciam redigi potest, sed tantum diuturno usu et consuetudine cognosci.

Quae cum ita sint, vobis praecipue tironibus has meas trado dedicoque primitias, non ut ex iis diabetis naturam cognoscatis, sed in eis perlegendis certiores fiatis: summum medici esse, naturam diligentissime observare, qua neglecta semper in tenebris maneat, et systematis quidem servus, non autem naturae dominus.

## BREVIS MORBI HISTORIA.

### §. I.

Diabetes mellitus Antiquitati a multis scriptoribus vindicatus, mihi recentioribus tantum temporibus proprius videtur. *Galenus* [1]) enim, de renum tantum loquitur affectione, in qua bis immensum urinae profluvium viderit, quod, ut ait, sive diabetem, sive dipsacum, sive urinae fluorem nominare volueris, transitus fluidorum assumptorum immutatorum per corpus sit.

*Celsus* [2]) de symptomatica tantum urinae nimiae profusione verba facit. *Aretaeus* [3]) denique, qui inter omnes veteres plurima de diabete fecit verba illius modificationis, ne jam speciei aut gradus dicam, quam, mellitum, vocamus, ne verbo quidem mentionem facit. Qui vero veterum scripta, eorumque accurate observandi et exacte describendi rationem novit, minime sibi persuadere poterit, eos urinae diabeticae dulcem odorem saporemque, si adfuerit, fugisse, aut in eorum descriptionibus forte supervisum esse. Si porro perpendimus, uti in sequentibus patebit, nullum forsan alium morbum arctiorem cum omui vivendi ratione habere connexum, quid miremur: antiquitatem a nostris temporibus in diaeta tam diversam hoc morbo plane caruisse? —

Medio aevo, saeculo quinto decimo, *Fr. de Bustis*

---

[1]) De locis affectis. Lib. VI. c. 3.

[2]) De medicina. Lib. IV, c. 20.

[3]) De signis et causis morborum. L. II. c. 2.

puellam diabete laborantem curabat, cujus rei *Cardanus* [4]) et *Gatinaria* [5]) mentionem faciunt, sed in his cum de urinae dulcedine nihil dictum sit, non est, cur diabetem mellitum fuisse putemus. Primus igitur, qui certo diabetem mellitum vidit, descripsitque, est *Th. Willisius* [6]) saeculo degens decimo septimo. Is primus dulcedinem diabeticae urinae non tantum cognovit, sed eum, ut proprium hujus morbi characterem, constituit his verbis: „Quod autem plerique auctores potum aut parum aut nihil immutatum reddi asserunt, a vero longissime distat, quoniam urina in omnibus, (quos unquam me novisse contigit, et credo ita in universis habere) tum a potu ingesto, tum a quovis humore in corpore nostro gigni solito, plurimum differens, quasi melle aut saccharo imbuta mire dulcescebat."

Post eum multi hunc morbum observarunt, deque eo scripserunt, quorum autem cum alii nihil novi protulerint, alii theorias vel potius hypotheses ediderint, quas aetas delevit, et oblivione merita obruit, nobis illi tantum hic nominandi videntur, qui sat multos casus viderunt, sat bene observarunt, et sat accurate descripserunt. Multi quidem etiam in his sunt, qui hypotheses falsas in lucem ediderunt, sed, si eos transire voluerimus, vix ullus nobis fuerit appellandus, quia plurimi, ne dicam omnes, hujus morbi naturam explicare conati, falsum docere maluerunt, quam se eam nescire libere fateri.

Itaque illorum nomina hic referam, qui ad meliorem hujus morbi cognitionem et curationem contulerunt, qui auctoritatem suam aliis observatio-

---

[4]) De rerum varietate. L. VIII. c. 44.

[5]) De curis aegritud. totius corpor. Basil. 1537. p. 143.

[6]) Pharmaceut. rational. Sect. IV. c. 3.

nibus, reliquisque scriptis munierunt, quorumque de Diabete monita in hac dissertatione conscribenda mihi praesto erant. Sunt autem hi: *Darwin* [7]) *Dobson* [8]), *Home* [9]), *Trnka de Krzowitz* [10]), *Cullen* [11]), *J. P. Frank* [12]), *Hufeland* [13]), *Rollo* [14]), *Cruikshank* [15]), *Reil* [16]), *Henke* [17]), *Haase* [18]), *Raiman* [19]), *Dreyfsig* [20]), *Schmalz* [21]).

## SYNONYMA ET DEFINITIO.

### §. II.

Quam facile est, rem, cujus naturam, constantemque formam novimus, apto significare nomine, quod, ab omnibus mox usitatum, veritate sua sibi tuetur valorem, et rem nominans rem etiam definit; tam difficile contrario est, in nostra medicina, aegritudinem, quae neque natura sua satis nota, neque constante forma ad circumscriptum morbum exculta est, idoneo induere nomine, vel potius accurate definire. Quam ob rem semper, quo obscurior aegritudinis est indoles, eo major nominum et definitionum copia. Praecipue id de Diabete valet

---

7) Zoonomie. Bd. 1. 2te Abtheil.
8) London Medical. Observationes. Vol. V.
9) Klinische Versuche.
10) De Diabete commentarius.
11) Anfangsgründe der prakt. Arzneik. 3. Band.
12) De curand. hom. morb. epit. L. V. P. 1.
13) Journal der prakt. Arzneik. 1818. 12. Stück.
14) 15) Abhandlungen d. Diabetes mellitus mit Versuchen des Cruikshank.
16) Erkenntniß und Cur d. Fieber. 3. Band.
17) Handbuch der spez. Pathol. 2. Band.
18) Chronische Krankheiten. 3. Band.
19) Handb. der spez. Pathol. u. Therapie. 2. Band.
20) Handbuch d. mediz. Diagnostik. 2. Band, und Pathologie der chronischen Krankh. 2. Bd.
21) Tabellen zur Diagnostik.

quem multi, ut aliquod novi de eo dicerent, alio donarunt nomine, aliaque definitione.

Itaque haec occurrunt nomina: Diabetes, Diabetes mellitus, Hydrops ad matulam, Diarrhoea urinosa s. urinalis, Profluvium urinae, Dipsacus, Diuresis, Urorrhoea diabetica, Urophelma, Sipho urinae, et Phthisuria, quae omnia, idque jure, a principe et pathognomonico hujus morbi symptomate, urina scilicet nimia, derivata sunt, quorumque ultimum, apud *Reil* obvium, idcirco mihi maxime arridet, quod simul alterum constans symptoma, corporis marcorem, significat.

Quod ad definitionem attinet, res vel pejus se habet, nisi nonnullorum symptomatum numerationem definitionem nominare volueris. *Willisius* e. gr. nostrum morbum graece nominat, et eum se definivisse arbitratur, cum graecum in latinum verterit sermonem, dicit enim „διαβήτης est materiae potulentae nimis celer transitus."

Alii latiorem vel strictiorem dederunt definitionem, quo scilicet majorem vel minorem symptomatum numerum in ea deposuerunt: Quorum autem cum nemo rem acu tetigerit, idque ob rei obscuritatem facere haud potuerit, ita ut omnes pro definitione descriptionem dederint, plurimi in vitium consueto oppositum delapsi sunt, verbis nimis parcentes. Cum enim ad verae definitionis merita et commoda pertineat brevitas, ad descriptionem idoneam contra accurata rerum observandarum delineatione, ubera et fusa omnium qualitatum constantium collectione careri nequit.

Perlectis igitur omnibus, a scriptoribus in §. I nominatis, definitionibus datis, res gravissimas conjungere et hanc definitionem proponere nobis in animo est, in qua illa signa omittimus, quae non semper occurrunt, itaque certo non ad naturam

morbi pertinent: Diabetes mellitus morbus est chronicus, in quo urina excernitur cum quantitate tum qualitate abnormis, non enim copiam tantum assumtorum longe superat, sed etiam principium saccharinum continet, normali deficiens, ita ut omnes fere reliquae se- et excretiones supprimantur, sitis inexplebilis efficiatur, corpusque macescat.

## SYMPTOMATOLOGIA.

### §. III.

Natura, sibi constans, iisdem causis semper eosdem producit effectus, et quas naturae leges nominamus, rationem inter certas causas earumque effectus a nobis expertum constituunt. In organismo liberius paululum quidem ludit natura, non autem temere, ut contraria iisdem efficiat sub conditionibus. Quam ob rem organismus etiam certis obsequitur legibus, et quidem sanus illis in physiologia, aegrotus illis in pathologia traditis. Hominibus vero nullius rei principia percipere valentibus, effectus tantum observare licet, et quas vocant causas, magis remotarum causarum etiam sunt effectus. Itaque omnis scientia nihil est, nisi aequatio quasi mathematica inter causam, effectum, et experientiam, quorum membrorum duobus datis, tertium facile cognosci potest. Haec in pathologiam adhibita nos docent, eam aequationem esse inter aegritudinem qua causam, morbum qua effectum, et diagnosin qua experientiam. Quum autem uti jam dixi, humano ingenio effectus tantum percipere, certeque in eos tantum agere liceat, quum porro medici summum sit, aegro valetudinem recuperare; nemo erit, qui neget, gravissimum medici esse negotium, morbum, i. e. aegritudinis phaenomena, seu symptomatologiam diligenter cognoscere.

Aegritudinem enim ignorantes, eam sanare tamen valebimus, si morbum satis cognoverimus.

Itaque in nostro diabete, quem ut certo curemus, tantum abest, ut potius ad insanabiles adhuc eum numeremus morbos; symptomatologia summam meretur diligentiam, nec sperare nobis licet fore, ut rationalem ejus inveniamus curam, quamdiu ejus symptomata quam maxime contraria a scriptoribus describantur.

Symptomata autem Diabetis melliti, quae a celeberrimis hujus morbi observatoribus referuntur, quorumque, quod dolendum est, nonnulla inter se differunt, sunt haec.

Qui a multis ipsisque peritissimis medicis, e. g. a *P. Frank*, negantur prodromi, a recentissimis de hoc morbo scriptoribus, praecipue a *Reil*, *Haase*, *Henke*, *Rollo* et *Raimann* affirmantur, eorumque cognitio medico summi est momenti, tum quod morbus in hoc stadio causas modo praegressas facilius sinat cognoscere et tollere, tum quod experientia edocti sciamus, diabetem excultum, vel imo ad fastigium provectum, medici deridere artem. Causa vero, cur illi saepe supervideantur prodromi, in eorum ponenda est natura, quippe quae nihil specifici prae se ferat. Sunt enim signa laesae concoctionis, acidique geniti in digestionis organis ructus scilicet acidi, pyrosis, vomitus mucosus, respiratio brevis, tussis sicca, spasmodica cum appetitu normali, imo nonnunquam aucto, et alvo immutata. *Reil* exanthemata scrophulosa, tumores lymphaticarum glandularum, labiique superioris in hoc stadio observavit.

Morbo ipso exculto multa apparent symptomata, quae, ne quid omittamus, secundum quatuor organismi functiones enumerare nobis in animo est.

*A. Functiones vitales.*

Pulsus et respiratio primis temporibus parum innormales, ita ut nullus fere auctor de his loquatur. *P. Frank* solus narrat (l. c. pag. 44) se in unico aegrotante mox morbi ab initio febrem, intermittentis tertianae typum imitantem, observasse. Serius autem morbo fastigium assecuto, febris apparet conspicua, pulsus debiliores, mollissimi et crebriores sentiuntur. Quod vero ad sanguinem attinet emissum, *Rollo* eum paululum mutatum, *Dobson* turbidum et subdulcem, *P. Frank* serum, aliquando dulce, cruorem aliquando crustam exhibentem invenit.

*B. Functiones naturales.*

Hae maxime perturbatae sunt, morbique focus esse videntur, summam igitur diligentiam et subtilitatem merentur.

Digestionem laesam, reproductionemque impeditam esse. marcor corporis sensim sensimque increscens probat, magis vero se- et excretiones mutatae, et urina, inter omnes morbos huic soli propria et tantopere alienata, ut ab ea aptissime morbus nominetur.

Prae omnibus igitur de urina diabetica sermo sit, quae inter omnia reliqua symptomata ita praedominatur, ut nesciam, an eam ceteris symptomatibus coordinandam, vel potius omnium matrem et causam censeam.

Urina vero diabetica, praeter quod urethra excernitur, nihil fere cum normali habet commune, a qua quantitate mirum in modum distat.

Quantitate, ut de hac, facillime observanda, prius loquar, non tantum normalem, sed etiam copiam assumtorum solidorum fluidorumque, et corporis decrementi superat, quamquam etiam in hac re observationes quam maxime variae occurrunt,

quas, ne quid integritatis in gravissimo hoc symptomate desideretur, breviter memorare volumus.

*Rollo* 22) quantitatem urinae eam assumptorum non superantem vidit, *Cardanus* 23) casum refert, in quo aegrotus per viginti quatuor horas septem libras assumsit, et triginta sex libras urinae excrevit, numerumque huic aequalem in assumtis et urina excreta, *P. Frank* 24) in puella observavit. *Ol. Borichius* et *Morgagni* 25), libras quadraginta duas, *Zacutus Lusitanus* 26) nonaginta, *Fonseca* 27) imo casum refert, quem plurimi romani medici verum esse testantur, in quo monacha, ab omni potu abhorrens, quoque die ducentas minxit libras. Veritas, uti fere semper, in medio sita est, et suo jure *P. Frank* quantitatem urinae diabeticae in viginti quatuor horis excretae libras circiter quadraginta attingere, ingestaque ad dimidium vel duas tertias partes superare docet.

Major etiam et fere mirabilior dixerim, urinae diabeticae, quod ad qualitatem, est abnormitas, ita ut non tantum colore, sapore, et odore, sed etiam chemicis elementis a normali secedat, et vegetabilium naturae similior fiat, quam animali excretioni. Insignis enim urina diabetica est principio saccharino, quod quidem jam odore et sapore detegendum, chemicorum autem celeberrimorum, praecipue *Darwin*, *Dobson*, *Home*, *Cawley*, *Fourcroy*, *Cruikshank* et *P. Frank* meritis accuratius cognitum et descriptum est. Quorum virorum ultimus sequentibus verbis urinae diabeticae qualitatem chemicam describit. „Hoc lotium ad ignem vapores suave-

---

22) l. c. p. 391.

23) De rer. variet. L. VIII. c. 46.

24) l. c. p. 44.

25) Dreyßig Handb. d. Patholog. 2. B. S. 235.

26) Praxis histor. l. II. c. 17.

27) *De Krzowitz* l. c. p. 23.

„olentes exhalat, atque ad certam spissitudinem re„dactum, melliformem, bruneam vel saccharinam „atque ulteriori solutione, inspissatione, facile de„purandam, et ad sacchari communis puritatem, „saporem, colorem reducendam largitur materiam, „vel sibi ipsum commissum fermentationem, tum „vinosam, tum acidam, subire observatur. Pulcher„rimos acidi saccharini crystallos, alcohol, et ace„tum, hoc animali ex liquido parata, conservamus, „atque ex quatuor et viginti urinae libris viginti sex „materiae saccharinae uncias obtinuimus, nec de„sunt, qui majorem istius quantitatem diabeticorum „ex lotio deduxerint." His sequentia addi potest: Residuum illud saccharinum aqua solubile est, in comburendo saccharum olet combustum, alcohol flave tingit, ammonium muriaticum nullum continet; nec acido sulphurico nec alcalibus mutatur, caret porro materia fibrina et resinoso extracto; hydrargyro denique nitrico in urina diabetica, non ut in sana rosaceum, sed album efficitur sedimentum.

Micturitio ipsa sine labore quidem est, sed ea urgente aeger urinam retinere ne brevissimum quidem tempus potest.

Tanto urinae secretionis in excessu jam sponte concludere possumus, reliquas organismi secretiones interrumpi, quippe quod renes omne secretionis negotium subeant, omnemque ingestam substantiam attrahant. Id experientia quoque affirmat.

Observatur enim cutis sicca, imo squamosa, lingua arida et spumas albas agens, donec morte appropinquante sudores apparent colliquativi.

*C. Functiones animales.*

Inter sensationes, quas in diabete observamus morbosas, primum fames et sitis tenent locum. De explicandis his phaenomenis hic nobis non agitur, neque ea cum *Reil* ad animi coenaesthesin, nec cum

*Haase* ad succorum intestinalium hyperoxydatorum effectus referre nobis in animo est, sed, nostro proposito obsequentes, observata tradere non explicare volumus.

Quod ad famem, plurimi eam auctam viderunt observatores, non autem desunt, qui anorexiam a se observatam referant, quin imo nonnulli [28]), eam normam esse tradant.

Multo magis vero aucta sitis est, quae veluti organismo in organon uropoëticum mutato, materiam continuo adducit. Incredibilis foret fluidorum brevi tempore assumtorum quantitas, nisi ea excretorum major adhuc esset. Hic igitur omnino memoranda est, *Aretaei* de suo diabete descriptio, „Neque aegros", ait, „quisquam neque a potu neque a mictu inhibere potest: quod si vel punctum temporis inhibeantur, siquidem a potu os siccatur, corpus arescit, viscera ipsi sua conflagrare opinantur, omnia fastidiunt, de omnibus dubitant."

Quantitas potus assumti ipsa a multis scriptoribus in variis casibus varia observabatur, et dum alii quadraginta, alii nonaginta libras in nychthemero assumtas viderunt, alii aquae se observasse horrorem referunt, quorum quidem de fide *Reil* dubitandum censet. *P. Frank* sitim auctam deficientem se nunquam vidisse tradit, ita ut etiam in hac re medium veritati censeamus proximum, et plurimis in casibus libras triginta bibi doceamus. Id autem constat, multos diabeticos, potu deficiente vel negato, in syncopen esse lapsos. Haec sitis aegros eo magis vexat, quod noctu eos semper fere vigiles teneat.

Aliae praeter famem sitimque sensationes morbosae sunt hae.

---

28) *De Krzowitz* l. c. p. 29.

Calor viscerum abdominis mordax, sensatio frigoris, vel frigidi potius liquidi e lumbis in vesicam urinariam descendentis, ardor stomachi, dolor ad suras vel pedes, morositas, tristitia, denique in morbi fastigio deliquia animi.

Praeterea omnes animales functiones magis magisque perturbantur et debilitantur, et sub morbi akme aegroti ire, vel imo stare nequeunt, vires decrescunt, animi facultates minuuntur, sensus externi internique hebetantur et in stimulos haud reagunt, vox fit rauca, fauces sine phlogosi dolent, animi deliquia sequuntur, in musculis externis et abdomine convulsiones et spasmi oriuntur, denique viribus omnino prostratis, febri hectica, anasarca aut diarrhoeis colliquativis aegrotus supremam subit diem.

*D. Functiones genitales.*

Plurimi auctores, viros diabete laborantes coëundi potestatem, imo nonnullos omnia seminis vestigia amisisse referunt. — Alii addunt, plerumque, praeputio tumescente, phimosin effici, modice inflammari, interque praeputium et glandem penis massam albam, caseosam, lymphaticam ex urina colligi, has partes inflammantem et rodentem.

His diabetis symptomatibus relatis id in genere addendum censeo, ea omnia noctu augeri, et variis morbi temporibus crescere et decrescere, quin idcirco morbus ipse crescat vel minuatur, quam ob rem forsitan varia medicorum de hoc morbo relata ad varia tempora referenda sunt, diversitasque exaequatur. Decursus enim hujus morbi quam maxime est diuturnus, et per annos trahitur. *Dobson* quidem acutos se vidisse narrat diabetes, imo unum, qui quinque hebdomadis mortem adduxerit, sed *P. Frank*, qui frequentissimos observavit diabetes ne unum quidem vidit acutum. Id praeterea moneo, me hic tantum de mellito, quem dicunt, diabete dis-

disseruisse, omniaque omisisse symptomata, quae diabetem alius modi comitantur, quorumque in enumerandis morbi hujus divisionibus mihi mentio erit facienda.

## DIAGNOSIS.

### §. IV.

Mellitus tam insignia et fere unica habet symptomata Diabetes, ut de diagnosi morbi exculti nunquam medico esse possit dubium, attamen rei integritas a nobis poscit, ut similes, si tales nominandi sunt, morbos cum eo comparemus, differentiasque tradamus specificas. Id quo facilius eo brevius erit negotium, ejusque utilitas ut magis patescat, addere volumus, diabetem non semper esse mellitum, non semper tam insigni symptomatum serie praeditum, sed varias ejus, uti in divisione videbimus, species occurrere, aliis, mox dicendis, morbis similiores.

a) *Enuresis.* Non hic urina, sed micturitio est abnormis, eaque frequentissima. Aeger scilicet facultate urinae per tempus aliquod retinendae caret, seu dynamica seu organica e causa, caeterum omnes functiones normales sunt, urinaque per nychthemeron collecta non tantum non assumta, sed ne normalem quidem superat quantitatem. Saccharinum deest principium, aegrique marcor.

b) *Urina critica in morbis acutis et hydrope.* Haud multa de hanc inter et diabetem differentia faciam verba. Omnia enim, quae in hoc adsunt: qualitas abnormis, quantitas assumta superans, aegri marcor crescens, in illa desunt, omniaque, quae in illa apparent: morbus praegressus, levamen subsequens, organismi convalescentia, in hac desiderantur.

c) *Urina hypochondriaca et hysterica.* Praeter quod omnia pathognomonica diabetis signa desunt,

periodici, brevissimique insultus, et morbi primarii praesentia differentiam praebent sufficientem.

d) *Lienteria urinalis.* Hoc in morbo, quem antiquiores observarunt descripseruntque medici, e. g. *Galenus*, *Zacutus*, *Hildanus*, *Bartholinus*, recentiores autem, praecipue *Reil* et *P. Frank* fide privant, potus immutati per urinam excerni dicuntur, suaque igitur natura differentiam a diabete nostro constituunt.

e) *Chyluria s. Coeliaca urinalis.* Hic morbus a multis antiquioribus auctoribus, quos *Krzowitz* in libro de diabete collegit, observatus nuperis temporibus a *P. Frank* negatus est; et si etiam occurrit a nostro satis differt diabete lactea urina, quam quidem semel *P. Frank* in vero diabete observavit.

f) *Dipsacus.* Alii diabeti similes morbi cum ab urina, hic a siti aucta derivat nomen. De ejus et diabetis differentia nihil dicendum est, cum dipsacos non tam morbus quam symptoma sit, a synocha vel inflammationibus abdominalibus pendens, et urina aucta potus aucti sit effectus, nihil autem cum urina diabetica habeat commune.

## MORTUORUM SECTIO.

### §. V.

Quamquam in hoc morbo minime mortuorum dissecandorum et perscrutandorum defuit occasio, celeberrimique anatomi et medici secandi subiere negotium, attamen sectiones parum in ejus naturam sedemque propagarunt lucis. Plerumque nulla aut certe minima reperta est abnormitas, de cujus praeterea ad morbum ratione dubium est, utrum scilicet ejus causa an effectus, an complicatio erat.

*Ruysch* (in observatione anatomica tertia decima), *Willisii* coaetaneus, in mortuo diabetico se utrumque renem ex parte consumtum, eorum mem-

branas incrassatas et contractas, ureteres porro tortuosos variisque locis expansos reperisse narrat. *Home* (l. c.) renem sinistrum auctum et laxiorem, dextrum normalem, utrumque vero acide olentem, vesicae porro urinariae membranas incrassatas ejusque collum vasis lacteis carens, glandulas denique mesentericas tumidas reperit, reliqua autem viscera normalia. *Michaelis* [29]) mortuum moschi similem edere odorem, sanguinem suaveolentem, fuscum, leviter chylo mixtum, absque hoc in corde ipso sejunctum observavit.

Omnia vero haec aliaque similia tam parvi, tum ob inconstantiam tum ob connexum cum morbo incognitum, sunt momenti in diabetis theoria et cura, ut ea memorasse nobis sufficiat.

## DIABETIS DIVISIO.

### §. VI.

Quum non de diabete in genere, sed de singula tantum ejus specie, quam mellitum vocant, disserere suscepimus, nostrum non esse facile videatur, de generis divisione verba facere; nihilominus autem, partim quod in natura nullum phaenomenon tam isolatum occurrat, quin ad similia relatum majorem nanciscatur lucem, partim quod singulae diabetis species ab auctoribus nonnunquam commutatae sint, uniusque symptomata alii adscripta inveniantur, animum tuum, Lector benevole, paucis ad genus diabeticum vertere volumus, ejusque divisiones breviter referre.

*Willisius* saccharo in diabetica urina reperto gavisus, nullum sine saccharo esse diabetem docuit,

[29]) Hufeland's Journal, Bd. XIV, 3. Stück.

cumque de differentiis dynamicis non egit, ne mentionem quidem divisionis diabetis facit.

Posteriores vero medici [30]), partim antiquis fidem reddentes, partim observationibus propriis ducti, immutatam materiae potulentae, vel materiae chylosae per urinam excretionem copiosam diabetem verum, frequentem contra urinae aqueae, pallidae potus quantitatem multo superantem mictum spurium nominabant diabetem, huncque rursus in continuum et periodicum, colliquativum et non colliquativum diviserunt.

Recentibus autem temporibus quum diabetes lacteus et potuum immutatorum fere nunquam, aquosus autem frequentius observaretur, res inversa est, et quem veteres spurium, eum recentes nominant verum, quem illi verum, hi spurium.

Praeterea autem recentiores medici, dynamici status habentes rationem, diabetem spasticum et torpidum constituerunt, tum demum excreti qualitatem spectantes verum et spurium, denique symptomata diabeti propria ab aliis forte praesentibus secernentes simplicem et complicatum, aliasque species secundum alias rationes constituerunt, nunc breviter nobis referendas, ita quidem ut cujusque proprietatem paucis describamus verbis.

Diabetes, i. e. urinae nimia potusque superans excretio, est:

### I. *Secundum characterem.*

a) Spasticus, diabetes cum erethismo, cujus symptomata pathognomonica sunt: Prodromi diuturni, iique spasmodici, retentio scilicet urinae; dolores renales; motus febriles; artuum spasmi; vigiliae;

---

[30]) Apud Krzowitz, l. c. p. 2.

labores hysterici et hypochondriaci; morbo ipso ingresso dolores renum et lumborum urentes; oris magna siccitas; saliva alba, tenax; urina tenuis, serosa, subviridis sine sedimento; fames sensim decrescens; sitis eo magis crescens; cutis contracta; arteriae vespere spasmodice durae; respiratio difficilis et tussi frequenti interrupta; vox interdum balbutiens; dolores abdominales valde urentes; urinarum excretio pomeridianis frequentissima temporibus, brevibusque interrupta stranguriis: morbo finiente vires omnino prostratae; pulsus debilissimi; delirium quietum; oedema pedum et genitalium; cutis squamosa; exanthemata maligna; diarrhoeae colliquativae; et urina mortem praegrediens insipida in diabete ipso mellito.

b) Torpidus, cum paralysi. In hoc observantur: Symptomata status atrabilarii; stagnationes abdominales, sensatio frigoris in renum regione; urina turbida lactea consistentia, noctu aegro inscio fluens; sensatio tensionis in pedibus; sitis mitior; fames acrior; pulsus suppressi; morbo progrediente haemorrhoïdes paralytici, non sublevantes; hydrops; paralyses topicae singulorumqne sensuum; mors mitis.

II. *Secundum urinae qualitatem et quantitatem.*

a) Verus. In hoc urina assumta semper superat fluida, limpida, tenuis et ab omni animali secreto diversa est, corpus praeterea macescit. Cum autem in eo haec urina varietur, ut in nonnullis inodorus et insipidus, in aliis suaveolens et mellitus occurrat; verus hic diabetes denuo nominatur

1) insipidus, si urina saccharum nec olet, nec sapit, nec inspissatione reddit;

2) mellitus, si contrarias, supra in symptomatologia a nobis dictas, habet qualitates;

b) spurius. Hoc sub nomine illae morbosa cum urinae excretione conjunctae species morborum veniunt, in quibus urina assumta fluida non superat, corpus non macescit, et, quae supra in sectione de diagnosi jam relatae sunt: Enuresis, Urina critica, hysterica, hypochondriaca, hydropica, Lienteria urinalis, Chyluria, Dipsacus;

c) decipiens (a *Frank* observatus), in quo urina quantitate ad spurium, qualitate ad verum, eumque mellitum, pertinet, et in quo corpus macescit.

III. *Secundum decursum*

*a.* continens,

*b.* remittens,

*c.* periodicus

quae species nominibus satis definiuntur.

IV. *Secundum complicationem*

*a.* simplex, nunquam fere obvius,

*b.* complicatus et quidem, uti jam diximus, cum spasmo, torpore, neurosibus, statu atrabilario, haemorrhoïdibus, hydrope, febri hectica.

## AETIOLOGIA.

### §. VII.

Quae adhuc de diabete disserui historicam quasi ejus constituunt provinciam, satisque notam, quae vero nunc dicenda restant, aetiologia et therapia, mythica e contra et hypothetica sunt. Nullum quidem fere est pathologiae compendium, in quo tractatus de diabetis causis tam praedisponentibus, quam occasionalibus, ipsaque proxima desideretur; sed re accuratius perspecta alius ab alio descripsit, aut alter alterum refellere conatur, novam condere hypothesin, quam theoriam dicit, studet, sed morbi naturam haud melius prioribus cognovit, etsi aliter eam explicat. Quisque in priorum

hypothesi aliquod videt facile refutatu, faciliusque sua theoria emendatu, donec alius etiam hujus detegat insufficientiam itaque „incidit in Scyllam, qui vult evitare Charybdin."

Nos igitur, omni judicio in hac re carentes, quae in auctoribus de diabetis causis invenimus, breviter trademus, ita quidem ut, quae inter omnes constat, ea uti res certas referamus, illa contra, de quibus adhuc dubium vel lis est, sine studio et odio quam incerta sistamus, et cujusque arbitrio permittamus judicium.

a. Causae occasionales, quas ut res externas ideoque maxime notas et accuratissime observatas auctores optime et quam maxime inter se consentanei referunt, sunt: Potus aquosi tepidi abusus; diuretica abundanter hausta, seu vina acida, seu cerevisiae, seu medicamenta diuretica, praesertim acriora; vermes seu abscessus, seu calculi renum; spasmi hysterici; pathemata animi; metastases; tumores intestinorum; motus corporis nimii; coïtus frequentissimus; febres intermittentes male curatae; rheumatica et arthritica passio suppressa, impetigines suppressae. De his vero omnibus nihil aliud dici potest, nisi ea diabetem saepe praecessisse, quo vero cum eo sint connexu, quisque secundum suam explicat theoriam; attamen ea magni sunt momenti, quod semper diligentius observata forsan ad veram diabetis originem sunt ductura.

b. Causae praedisponentes. Hae prioribus obscuriores sunt. Multi, ad quos *Morton*, *Brisbane*, *Rollo*, *Reil* et *P. Frank* pertinent, praedispositionem haereditariam constituunt, exemplisque probant. Praeterea omnes fere in eo consentiunt, quod vivendi ratio multum ad diabetis conferat germen generandum, quamquam difficile sit negotium, causas occasionales a praedisponentibus in morbo tam

parum cognito secernere. Quod vero experientia nos docet sequentibus possumus complecti: Aetas quidem nulla de diabete tuta, sed virilis, senilisque maxime ei obnoxia, sexus virilis multo frequentius eo laborat quam foemineus; nobilem mediumque ordinem saepius ab eo affici quam humilem et egentem *Reil* contendit, sed nescio quo jure, cum alii id negent; dyscrasia scrophulosa et indurationibus abdominalibus laborantes ad diabetem propensi sunt; nonnullae denique regiones eum frequentius producunt et dum *P. Frank* in Germania per viginti annos tres tantum viderat casus, in Italia per octo annos jam septem observabat, Scotia vero hunc morbum longe saepissime prodit.

c. Causa proxima. Haec nostrae scientiae est inter omnes adhuc remotissima. Nullum fere de hoc morbo scripsisse, quin ob omnium aliorum de eo theoriarum insufficientiam novam constituerit sententiam, prius jam diximus; cum vero nostrum non sit, varias hypotheses scrutinio subjicere, alteram vituperare, alteram laudare, plurimas silentio praeterire malumus earumque tantum paucis verbis mentionem sumus facturi, quae maxime cum observationibus consentiunt.

Mead [31]) aliique eum secuti causam proximam in vitio hepatis et bili male mixta ponunt.

*Gantz* [32]) in intestinorum obstructione.

*R. A. Vogel* [33]) in renum debilitate et sanguinis solutione.

*Cullen* [34]) in assimilationis et animalisationis vitiis.

---

[31]) Opera omn. Tract. de Viper. p. 39.

[32]) Dissertatio de diabete.

[33]) Praelect. academ. de cognoscend. et curand. affectib. §. 367.

[34]) l. c.

*Darwin* [35]) in lymphae motu retrogrado.

*Kausch* [36]) in cutis actione abnormi, resorptione aucta, exhalatione imminuta.

*Creuzwieser* [37]) diabetem phthisin esse renalem lymphaticam putat, eumque cum phthisi pituitosa pulmonum comparat.

*Rollo* [38]) diabetem e ventriculi actione aucta, succo ventriculi nimio secreto, et renibus in consensum tractis oriri docet.

*Henke* [39]) diabetis originem in totius systematis reproductivi ponit affectu.

*Hufeland* [40]) sacchari generationem illi calculorum analogam putat, et ex patentis acidi urinalis abundantia derivat.

*P. Frank* [41]) nimiam vasorum resorbentium actionem diabetem efficere tradit.

*Haase* [42]) diabetem mellitum, quem solum perfectum et verum diabetem nominat, e chemico dynamicoque derivat momento. Putat enim abnormi qualitate et functione viscerum abdominalium, lienis praecipue et hepatis, hyperoxydatum secerni succum intestinalem, qui saccharum generet, renesque ad immensam stimulet secretionem.

## PROGNOSIS.

### §. VIII.

Diabetes ad periculosissimos pertinet morbos.

---

35) Sammlungen auserlesener Abhandl. für prakt. Aerzte. Bd. VI. S. 273.

36) Mediz. chirurg. Erfahrungen. S. 299.

37) Dissertatio de diabete, p. 33.

38) l. c.

39) l. c.

40) Journal d. prakt. Heilk. 1818. 12. Stück.

41) l. c.

42) l. c.

Quum enim diagnosis in morbi initio tam difficilis sit, medicus plerumque diabetem jam excultum et mellitum curare incipit, eumque raro sanare potest. Experientia edocti scimus: diabetem diu jam durantem et cum nimia urinae jactura conjunctum rarissime, si unquam, sanari, senes porro, vel coïtu nimio aut aliis causis debilitatos fere semper succumbere, sanatos denique facile recidivis affici.

## THERAPIA.

### §. IX.

Nullibi plerumque, celeberrimus ait *P. Frank*, medicina auxilii tam egena est, quam ubi majores remediorum divitias pro una eademque aegritudine possideri gloriantur theoretici; atque in ipso diabete tam multa, tamque contraria inter se auxilia laudata fuerunt, ut vel ex hac sola rationis medendi inconstantia plurimorum jam nimis manifestetur inertia. Praeterea vero e praegressis modo de aetiologia et prognosi paragraphis satis patet, curam rationalem ob dubiam adhuc morbi naturam originemque non esse instituendam, et curam empiricam raro ad exoptatum ducere finem. Pro sua quisque theoria exhibet laudatque curam, mortemque secutam non falsae curationi, sed aegritudinis, hoc in casu insanabilitati tribuit. Quum vero haud deficiant exempla, in quibus remedia contraria diabetem primis temporibus sanarint, diversi status organismi, diversaque virium conditio adfuerint necesse est. Nulla enim fere remediorum est classis, cujus auxilio haud medicus diabetem se sanasse contendat. Ita a variis: Resolventia, Mucilaginosa, Diaphoretica (praecipue pulv. Doweri et Camphora), Antispasmodica (praecipue opium, digitalis purpurea, asa foetida, valeriana), Emetica, Incitantia, Li-

thontriptica, Diuretica, Tonica (maxime rheum, china, alumen, martialia), Mercurius, Aqua calcaria, Antimonialia, Magnesia carbonica, Kali sulphuratum et hydrosulphur-ammoniatum laudantur.

Nobis sufficiat, medico diabetem curanti suadere, ut in quoque casu causas occasionales diligentissime perquirat, totam organismi conditionem, virium statum, humorum qualitatem, phaenomena concomitantia accurate respiciat, et secundum varios hos status agat.

Indicationes autem, quae medicum ad rationaliter agendum ducunt, quaeque optime monstrant, quomodo tam varia, imo contraria, remedia jure adhibenda doceantur in diabete, hae sunt.

1) Remotio causarum occasionalium. — Qui diversitatem harum supra attente perlegit, eum haud fuget, quam vario ad hoc negotium opus sit medicamentorum apparatu, et ut de morbis tantum praegressis loquar, nobis mox calculos, mox arthritin, mox abscessus fore curanda. Semper autem diaeta vegetabilis vetanda, animalisque instituenda est, ut *Rollo* praecipue suadet.

2) Imminutio nimiae urinarum secretionis. Haec secundum spasmodicam aus torpidam diabetis naturam jam diversis efficitur remediis. Antispasmodica hic magnam assecuta sunt celebritatem, praecipue opium, digitalis purpurea et hydrosulphur-ammoniacale. Antimonialia porro et Emetica renum actionem antagonismo minuunt; et mercurius denique salivatione, i. e. alia excitata secretione, eam urinae possunt supprimere.

3) Curatio status hyperoxydationis, quae in mellito praecipue diabete summi est momenti. Huic indicationi optime remedia desoxydantia respondent, e. g. magnesia carbonica, tinctura kalina,

kali sulphuratum, ammonium hydrogenato-sulphuratum, quae duo posteriora irritabilitatem organismi simul imminuunt.

4) Corroboratio corporis diabete debilitati. Huc pertinent Tonica a tot auctoribus in diabete laudata. Quae autem cum non in aegritudinem ipsam agant, per se ad diabetem sanandum contribuere nequeunt.

# CURRICULUM VITAE.

Ego *Rudolphus Hohlfeld* Leobschützae, Silesiae oppido, die XXV. Martis anno MDCCXCIII. patre optimo *Joanne Hohlfeld*, a regis justitiae commissariis, et notario publico, matre *Joanna* e gente *Rotheriana*, quos parentes defunctos lugeo, natus et confessioni catholicae addictus sum.

Anno MDCCCII, gymnasium patriae, *Jelonek* rectore tum florens, adii, quo MDCCVII. relicto, in officina Bruneriana per tres annos pharmaciae practicae operam dedi, quibus praeterlapsis, MDCCCXI. universitatem Vindobonensem petii, ibique per duos annos scientiis naturalibus studui et viros celeberrimos *Scherer* de Historia naturali, *Lenhossek* de Physiologia, *Jacquin* de Chemia et Botanice et *Mayer* de Anatomia disserentes audivi.

Anno MDCCCXII. exeunte examina publica et rigorosum subivi et magisterium accepi.

Tum ad annum MDCCCXVI. pluribus officinis praefui, hoc anno autem Berolini, colloquio cum laude habito, pharmaceuticus primae classis approbatus propriam emi officinam in oppido Fraustadt, eamque per sex annos direxi.

Anno autem MDCCCXXIII illa vendita Vindobonam redii, ut medicinae operam darem. Ibi ab Illustr. *de Jüstel*, t. t. rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus et ab Illustr. *de Fiedler*, t. t. decano, medicinae studiosis adscriptus sum.

Hac in universitate his virorum Illustrissimorum lectionibus interfui: Illustr. Baron *de Jacquin* de plantarum Anatomia ac Physiologia, de Botanica, et Chemia experimentis illustrata, Illustr. Eques *de Scherer* Historiam naturalem et Mineralogiam mihi exposuit. Illustr. *Meyer* Anatomiam universam corpor. humani, Illustr. *de Lenhossek* Physiologiam cum experimentis conjunctam et Anatomiam superiorem Illustr. *Hartmann* Pharmacologiam generalem et specialem; Semiologiam nec non

Pharmacocatagraphologiam, Celeberr. *Mauermann* Pathologiam et Therapiam chirurgicam generalem et specialem et Akiurgiam, Celeberr. *Horn* Artem obstetriciam theoreticam, Illustr. *Berndt* medicinam forensem me docuerunt. Dein ad clinicum practicum adductus, sub Illustr. *de Raimann* Pathologiae et Therapiae speciali cum praxi per duos annos operam dedi. Celeberr. *de Wadtmann* de Chirurgia practica, fascias imponendi arte, cursuque operationum, Illustr. *Rosas* de Ophthalmiatrica cum exercitationibus clinicis conjuncta audivi. Neque minus in domo parturientium duce Illustr. *Klein* parturientes observavi atque tractavi.

Anno MDCCCXXVI exeunte, Berolinum me contuli, et a rectore magnifico Illustrissimo *Lichtenstein* civibus academicis adscriptus, Illustr. *Rudolphi* de Anatomia pathologica et comparata disserentem audivi, neque defui Repetitorio anatomico, a Celeb. Dr. *Schlemm* habito, Illustr. *Rust* exercitationes clinicas et de morbis venereis praelectiones frequentavi, denique in arte cadaverum dissecandorum Illustr. *Rudolphi* et *Knape* ducibus me exercui.

Tentamine philosophico et medico examineque rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis spero, fore ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

---

# THESES DEFENDENDAE.

*I.*

*Medicaminum ordo alphabeticus optimus.*

*II.*

*Nullus medicus, nisi etiam Chirurgus.*

*III.*

*Trepanatio statim post laesionem instituenda.*